

fidei (V. Luth. in p̄fat. ad h. L. item Waltherus Offic. Bibl. Reposit. post. spec. Arc. i. p. 1130. & seqq. aliiqve) ita etiam Mulieris illius factum, nondum iudiciis omnium perplacet. Ipsum exemplum exemplorum Salvator noster loco omnium sit, qvi Cæsariem non adsp̄nabatur: Nota enim sunt, quæ de illius decore scripta reliquit Nicephorus l. i. c. 40. Neqve alio tendunt, quæ Propheta N. T. de Filio hominis intra septem candelabra ambulante observavit; cuius caput & capilli lana alba & nive candidiores fuisse memorantur Apocal. I. v. 14.

II. Progredimur in Sacro Codice ulterius, atqve ista etiam loca urgemus, in quibus homini moderata proprii corporis cura conceditur, imo & injungitur. Ita Paulus ait: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Eph. V. v. 29. atqve alibi Hypocritas carpit, *qvi Corpori non parcunt.* Col. II. v. 23. Quod huc quoque referatur Dictum Rom. XIII. v. 14. Admodum **REVERENDUS & EXCELLENTISSIMUS** DN. PRÆSES Disputationis nostræ ꝑ, Patronus & Præceptor noster ætatem devenerandus, in Concione de Heutophilia (von der Lobwürdigen Selbst-Liebe des Leibe) p. 6. seqq. ostendit. Cum igitur necessitas corporis haud raro Capillamentis indigeat, quidni iisdem liceat uti? Consideremus varia morborum genera, Caput hominis infestantia, quibus uti data opera remedium quæritur ab ægrotantibus, ita haud raro nulla commo- diore ratione, quam auxilio Capillamentorum occurritur. Sane Cerebrum æqve ac reliqua humani corporis membra tuitionem a frigore, aliisque tempestatum aut ma-  
lorum